THEOREMATA
ANATOMICA MISCELLANEA
DE
VARIIS HUMANI CORPORIS PARTIBUS:

13

Solenniter ad diſputandum in inclyta Argentoratenſium Univerſitate propoſita

à

IOH. ALBERTO SEBIZIO,
DOCT. MED. ANATOM. ET BOTAN. PROFESSORE ORDINARIO:

RESPONDENTE

JOH. CHRISTOPHORO KNOGLERO,
Poſonienſi-Ungaro.

Ad diem 7. *Menſ. Septembr.*

ARGENTORATI,
Ex Typographéo FRIDERICI SPOOR.
M. DC. LIII.

VIRIS

NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, CLARISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS,

DN. PAVLO SPINDLERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINÆ DOCTORI, PRACTICO VTI CELEBERRIMO, ITA ET FELICISSIMO,

ET

DN. GEORG. GODOFREDO ZILLINGERO,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORI MERITISSIMO:

Dnn. Patronis, Fautoribus, & Cognatis,

Has ſtudii ſui Medici primitias, in grati animi Symbolum, debitæ obſervantiæ teſſeram, & ulterioris benevolentiæ ac beneficentiæ memoriam,

offert & conſecrat

JOHAN. CHRISTOPH. KNOGLER.

THEOREMA PRIMUM.

TRes cumprimis modi ſunt, quibus Anatome diſcitur, legendo nimirùm ſcripta Anatomicorum: audiendo viva voce docentes Anatomicos: & videndo palpandoque partes ipſas in adminiſtrationibus anatomicis. Optimus autem certiſſimusq; modus eſt ἀυτοψία. Optimus quidem, quia quæ videntur oculis, manibusve palpantur, citiùs & faciliùs percipiuntur, firmiùsq; retinentur: cùm quæ audiuntur leguntur ve, non ſtatim intelligantur: breviùsq; memoriæ hæreant infixa. Certiſſimus verò, quoniam ad reliquos duos modos ſe habet inſtar fundamenti, eaq; confirmat atque ſtabilit. Hinc in rebus dubiis & controverſis ad ipſam provocamus ἀυτοψίαν, tanquam ad judicem infallibilem.

II.

ANatomen nihil utilitatis adferre exinde nonnulli probare conantur, quòd in demortuis pleraq; aliter ſe habeant quàm in vivis: iniquum etiam ſit & inhumanum in demortuos, alteram exercere pœnam: imò indecorum & inhoneſtum, furum latronumq; tractare corpora: neque ſcandalo careat, juventuti omnia detegere arcana, maximè quæ generationem ſpectant.

 Sed

Sed hallucinantur plurimùm. Rectiùs ſentiunt, q
cum *divino Sene l. d. loc. in hom.* Anatomen prin
pium ſermonis in arte Medicâ ſtatuunt, eamq; cum
Fernelio firmiſſimum artis fundamentum appellant.

III.

ANatome ad utramque ſcientiam, Phyſicam parit
atque Medicinam pertinet: ſed ad Phyſicam ſoli
cognitionis & ſpeculationis gratiâ: ut humani corp
ris perfectam habeamus notitiam: ad Medicinam no
contemplationis tantùm, ſed praxeως ἕνεκα, ut explor
tâ partium læſa functione, deducamur in cognitione
ſpeciei adfectus, inſuperq; ſciamus, quomodo in cur
tione remedia tùm univerſalia, tùm quæ topica v
cantur, rectè ſint applicanda, quæ pro varia partiur
ſubſtantia, magnitudine, numero, temperie, figur
ſenſu & connexione, quæ accidentia Anatome doce
varianda ſunt.

IV.

TAbulæ Anatomicæ non umbræ tantùm ſunt, qu
intuentes remorantur magis quàm promoven
ſed ſi legitimæ ſint, & ad imitationem naturæ facta
præparant Tyrones ad librum Naturæ, inque mem
riam iis revocant ea, quæ oculis in corpore viderun
& manibus contrectârunt.

V.

DAmnatos Regum permiſſione vivos ſecuiſſe tr
dunt *Herophilum & Eraſiſtratum*: noſtro quoqu
ſeculo *Carpum & Veſalium.* Nos, cùm ſectionis viv
rum hominum nulla ſit neceſſitas, eam adminiſtra
dam minimè cenſemus. Inſtitui enim videtur, ut mo
tus & actiones quædam, quæ in demortuis conſpicu
non ſunt, videantur: v.g. motus Cerebri, nervorum

recu

recurrentium uſus, pulſus cordis & arteriarum, actio Muſculorum, motus fœtus in utero, motus pulmonum. Atqui hæ actiones pleræque in brutis deprehendi queunt. Imò in vivis etiam hominibus: quod de actione muſculorum, pulſu Cordis & arteriarum, motu Embryonis eſt certiſſimum. Cerebri motus per vulnera Capitis videri poteſt.

VI.

DIviſio corporis humani in Caput, Thoracem, Ventrem & Veſicam ex *Dioclis Cariſthij* ſententia, duas reprehenſionis notas incurrere videtur. 1. quòd habeat ἔλλειψιν: omittit enim collum & artus. 2. quòd habeat πλεονασμόν. Ratio, quia qui ponit totum, ponit etiam partes ſub illo comprehenſas. Ergò qui ponit imum vẽtrem, etiam complectitur veſicam, quæ illius eſt pars.

VII.

F*Ernelij* diviſio in regiones tres publicas & plurimas privatas, etſi ſectionibus, ſive adminiſtrationibus anatomicis non quadret, cùm non ita comparata ſit, ut ſecundùm eam corpus commodè ſecari queat, legibus tamen vacuandi eſt accommodata: ut cognoſcatur, ubi latitet cacochymia & plethora: & per quas vias vitia illa ſint expurganda.

IIX.

PAri modo nec anatomica, nec accurata *Hippocr.* eſt diviſio, quando corpus humanum dividit in τὰ ἴσχοντα, ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ἐνορμῶντα: quoniam ſub partibus etiam complectitur humores & ſpiritus, qui partes non ſunt: neque etiam ab Anatomicis demonſtrantur.

IX.

PArtes quædam noſtri corporis ſimplices & incompoſitæ rectiſſimè ſtatuuntur: non quidem abſolutè

& ſim-

& ſimpliciter, cùm omnes conſtent ex elementis: ex materia item & forma: ſed κατά τι, quatenus ex partibus integrantibus diverſæ naturæ & ſpeciei actu ſecundùm ſenſum non ſunt compoſitæ: neque in eas diviſibiles, non ſecus ac elementa, quæ à Philoſophis ſimplicia dicuntur, non quòd ex materia & forma non conſtent: ſed quòd ex aliis ſimplicibus corporibus, uti mixta, non ſint compoſita. Et quædam medicamenta ſimplicia vocantur: non quòd elementorum permiſtionis ſint expertia, ſed reſpectu compoſitorum: quoniam ex aliis ingredientibus non ſunt conflata, ſed talia, qualia Natura ea produxit: nihil adepta arte & ingenio noſtro.

X.

Pilos, ungues, ut & cuticulam plerique ex recentioribus in albo partium propriè dictarum propterea reponunt, quòd nutriantur, creſcant, toti cohæreant, nobis in utero exiſtentibus naſcantur, certam ac definitam habeant quantitatem, uſum corpori præſtent, omnisque generis aliarum partium in modum, pateant morbis. Nos, etſi quædam ex hisce partium requiſitis iis competant, partium tamen propriè dictarum nomen mereri negamus, tùm quod vitæ functiones non edant, tùm quòd morbis minimè exerceantur.

XI.

AD motuum varietatem, ut & ad δυσπάθειαν, ne uno affecto, reliqua læderentur, varia homini oſſa à ſapientiſſimo rerum Conditore ſunt conceſſa. Opus autem illi fuit vario & multiplici motu πρὸς τὸ εἶναι, καὶ πρὸς τὸ εὖ εἶναι. Πρὸς τὸ εἶναι, ut conſervet ſanitatem: ad cuius tutelam non parùm facit motus corporis debito modo adhibitus: ut fugiat noxia: ut proſequatur utilia: ut

prope

propellat iniurias,ſeq; defendat contra hoſtes. Πρὸς τὸ εὖ εἶναι, ut ad varia loca ſe conferre poſſit, ad videndum, audiendum, explorandum: in ſumma ad rerum cognitionem comparandam: ad exercendas actiones & artes plurimas.

XII.

OSſa & cartilagines inter ſe non ſpecie, ſed καθ' ἧττον καὶ μᾶλλον differre cenſuit *Philoſophus l.2.part.an.c.9.& l.3. d.l.hiſt.an.c.8.* Verùm malè. Alia enim eſt oſſis definitio, alia cartilaginis. Ea enim definitur, quòd ſit pars ſimilaris, frigida & ſicca, ex craſſa lentaq; ſeminis parte, quæ caloris vi concrevit, genita, ad motuum varietatem ſecuritatemve, &ad externos impetus eludendos. Oſſa verò partes ſunt ſimiliares ſicciſſimæ, duriſſimæ, ex terreno ſeminis craſſamento genitæ, ut corpori præbeant καὶ τὴν στάσιν, καὶ τὴν ὀρθότητα, καὶ τὸ εἶδος. Alia quoque eſt ſtructura oſſium, alia cartilaginum. Oſſa enim ſunt poroſa: cartilagines ſolidæ. Illa medullam obtinent pro alimento: hæ verò nequaquam. Illa ſicciora ſunt, frigidiora, & maxima ex parte inæqualia & aſpera. Hæ læves ſunt & perpolitæ, mediam habentes naturam inter os & ligamentum. Oſſe quippe ſunt molliores: ligamento duriores.

XIII.

MEdullam, quæ in omnibus continetur oſſibus, verum eſſe eorum alimentum, & authoritate, & rationibus probari facilè poteſt. Authoritate quidem *Hippocr. aph. 69. lib.* περὶ τροφῆς. Deinde *Galeni*, qui *l.*11. *de uſu partium c.*18. dicit, medullam proprium oſſibus alimentum eſſe. Et *l.*3. *d. natur. facult. cap. ult.* ait, qualis carnibus ſanguis, talis oſſibus medulla. At carnes ſanguine nutriuntur, & quidem levem atque exiguam muta-

tionem

tionem conſequuto, E. & oſſa medulla aluntur: variam & multiplicem paſſa alterationem. Rati verò. 1. quia ex *Ariſtot. ſententia l.* 1. *de generat. an c.* 18. quod eſt in noſtro corpore, id aut pars eſt ſec dum naturam, & quidem vel ſimilaris, vel diſſimila aut præter naturam: vel excrementum: vel σύντηγμα ve colliquamentum: vel alimentum. At medull in corpore noſtr, onimirùm in cavitate, aut cavern oſſium, E. aliquid horum eſſe neceſſe eſt. Sed neq; eſt, neque exctementum, neque præter naturam q neque colliquamentum. E. neceſſe eſt, ut ſit alim tum: & quidem illarum partium, in quibus perpe obſervatur. 2. quia ſi medulla non eſſet oſſium mentum, oſſa ſanè neque cava, neque poroſa, cave ſaq; eſſent. Hæ enim cavitates & poroſitates, non crementorum causâ oſſibus ſunt inſculptæ: quia ex rum nutricatione tanta excrementorum copia m mè reſultat, ut tot tantisq; conceptaculis opus ſit. qui oſſa omnia vel cava ſunt, vel cavernoſa. E. Me la eorum alimentum ſit neceſſe eſt.

XIV.

CAllus, cuius interventu, ceu medio heteroge fracta oſſa ferruminantur, ὁμωνύμως os appellari teſt, ſcil. ratione formæ externæ: quia oſſis inſtar e gidus, ſiccus, durus, albus, lævis, craſſus, terrenus. ratione finis, quia fracta oſſa copulat atque coniu Συνωνύμως verò nequaquam. 1. Ratione materiæ: qua eſt ſpermatica, callo verò alimentalis, reſiduum vi cet oſsis alimentum. 2. Ratione efficientis: qu ſa à facultate plaſtica, callus ab aſsimilatrice oſsiu norum, mediante temperamento, proficiſcitur.

XV.

XV.

CRanium infantis ea in parte, qua ſagittalis ſutura coronali jungitur, quemque locum Barbari à madore & pulſu fontem vocant pulſatilem, prima quidem fronte membranoſum eſſe videtur. 1. quòd molle ſit & flexile. 2. quòd reliquis cranii oſſibus valdè diſſimile. 3. quòd *Ariſtot.* hunc locum vocet ὑστερογενῆ, fortè non aliam ob cauſam, quàm quòd in prima nativitate oſſeus non ſit: oſſeus autem fiat temporis progreſſu, & fœtu jam in lucem edito. At rectiùs oſſeus dicitur. 1. quia pars illa portio eſt oſſium ſincipitis. At ſi cranium totum eſt oſſeum. E. & ſingulæ illius partes. In ſimilaribus enim non dantur corpora heterogenea. 2. quia progreſſu temporis induratur, & in os mutatur durum & ſolidum: quod de nulla membrana affirmare licet. Signum E. certum, formam oſſis adeſſe, ſed differre ab oſſibus reliquis καθ' ἧττον ϗ μᾶλλον: quæ differentia non variat ſpeciem. Nam & reliqua infantum oſſa caſeo recens coagulato ſimilia ſunt, & ceræ in modum flexibilia, teſtante *Galeno l. 2. temperam. c. 2.* & *comm. 3. aphor. 24.* & tamen oſſea.

XVI.

QUemadmodum omnia oſſa, dentibus exceptis, ſenſu tactus orbata ſunt, & cartilagines omnes eodem deſtituuntur, ita etiam omnia ligamenta ſenſu carent, præter linguæ frænum, & duo penem conſtituentia ligamenta. Neq; contrarius eſſe videtur *Galenus*, quando *3. d. nat. facult.* ligamenta ex fibris ſenſibilibus conſtare aſſerit. Per ſenſibiles enim ibidem non ſenſitivas, ſed ſenſui conſpicuas intellexit: ut non ſint ſubiecta tactus, ſed obiecta noſtrorum ſenſuum. Cauſa verò, cur ligamenta non ſentiant, duplex eſt. 1. quia nervos non habent. 2. quia animal verſaretur in ἀειπαθείᾳ. Sem-

per enim moventur, dùm artus flectimus & extendimus.

XVII.

PRiſcis medendi artificibus conſuetum fuiſſe *Gal. l. de cur. rat. per Sangu. miſſ. c.* 22. aſſerit, ut arterias venas appellarent. Quanquam immeritò. Ad veritatem propiùs accedunt, qui duo hæc vaſorum genera ſtructurâ, ortu, uſu & motu ab invicem diſcrepare affirmant. Vena enim unicam ſimplicemq; obtinet tunicam, & illam quidem tenuiſſimam: arteria craſſam. Vena oritur ab Epate: arteria à corde. Vena ſanguinem diſtribuit alimentarium: arteria cardiacum cruorem, ſpiritumq; vitalem in omne diffundit corpus. Illa quieſcit: hæc continuo ſyſtoles atque diaſtoles motu movetur.

XIIX.

NErvi cavi ſunt, ſi per cavitatem intelligas poros, meatus, & foramina. Eſt enim illorum ſubſtantia συριγγώδης, fiſtuloſa, κ̀ σπογγώδης, ſpongioſa, ſive fungoſa: rara ſc. & meatibus pervia. Nervi cavi non ſunt, ſi per cavitatem inaudias ſenſibilem, evidentem, manifeſtam & conſpicuam cavitatem, qualem deprehendis in venis, arteriis, poris cholidochis, vaſis ſpermaticis, ureteribus, ventriculo, utero, veſica, corde, cerebro, &c. Non enim corpus continent craſſum, ſed tenuiſſimum, ſpiritum ſcil. animalem, cuius dicuntur latores: qui facilè, etiam anguſtiſſimos quosque meatus penetrare poteſt. Talis namque ſenſibilis cavitas in nullo nervo, ne quidem optico videtur, ut demonſtrat anatome. Et ſubſtantia eorum interna prorsùs eſt medullaris atque ſolida. Hinc *Hippocr. l. d. loc. in homine* dicit, νεῦρα ξηρὰ ἐϛι κ̀ ἀκοίλια. Et *Galen. comm.* 1. *in* 6. *Epid.* nervos cavitatibus deſtitutos ſcribit.

XIX. Ma-

XIX.

MAlè ſentiunt, qui cum *Galeno in* μικροτέχνῃ *c.* 11. eſſentiale quoddam ac proprium nervorum diſcrimen conſtituunt, dùm alios motorios, alios verò ſenſorios eſſe exiſtimant. Eſt enim omnium nervorum idem principium, eadem ſtructura, idem contentum. Ergo idem quoque uſus. Quòd autem contingat aboleri nonnunquam motum, ſalvo manente ſenſu, & vice versâ, ſenſum perire, illæſo perſiſtente motu, non ſanè accidit ob nervorum quandam diverſitatem, ita ut durioribus affectis, motus intercidat: mollioribus autem oblæſis, ſenſus intereat, ſed cauſa eſt diverſitas implantationis, cuius ratione fit, ut ſenſus aboleatur, ſi illi lædantur, qui in membranas inſeruntur: pereat verò motus, ſi qui per muſculos diſperguntur nervi, aliquam patiantur jacturam.

XX.

NErvos arteriis eſſe continuos, ita ut nihil aliud videantur, quàm exiliores factæ arteriæ, ex antiquioribus *Ariſtot. l.* 3. *de hiſtor. anim. c.* 5. & ex recentioribus *Cæſalpinus* docuerunt, hâc permoti ratione, quòd ligatis ſoporalibus arteriis, motus ac ſenſus in omni corpore intercidat, non aliam ob cauſam, quàm propter interceptionem ſpiritus vitalis, qui per illas arterias ad cerebrum defertur, & factus poſteà animalis mediantibus nervis toti corpori impertitur. Sed dogmatis hujus falſitatem ipſa redarguit ratio. 1. quòd arteriæ & nervi diverſi generis vaſa non eſſent, nec ex diverſis ſcaturirent fontibus, nec differentes obtinerent fines & uſus, neque propriam peculiaremq; haberent ſtructuram. 2. quia ſi nervi eſſent extremitates arteriarum attenuatæ, ſanè tot nervi eſſent conſtituendi, quot arteriæ, cùm tamen ἀυτοψία doceat, frequentiorem eſſe

numerum nervorum, quàm arteriarum. 5. quia per-
petuò nervi minores forent arteriis, quod falſum
eſſe ocularis αὐτοψία in brachiis & cruribus, per quæ &
maximi, & craſſiſſimi nervi excurrunt, demonſtrat. Ad-
de, quòd nec ſenſus ullibi in corpore aliquam nervo-
rum cum arteriis continuitatem animadvertat.

XXI.

Galenus aph. com. 4. 77. cuticulam ἐπιφάνειαν τοῦ δέρματος eſſe aſſerit. Sed videtur loqui impropriè; & vera il-
lius eſt ſententia ratione ſitus. Qua ratione etiam ab *Ari-
ſtotele* vocatur extima cutis, & primi exortus opercu-
lum. Propriè autem ſuperficies cutis non eſt. Nam
per ſuperficiem vel intelligitur extremitas cuiusque rei,
vel pars extrema alicuius corporis. Priori modo ſu-
perficies eſſe nequit, quia eſt ſubſtantia. At extremi-
tas accidens eſt. Poſteriori itidem non: quia poteſt à
cute ſeparari, ſalvâ manente & integra cute, quoniam
de natura & ſubſtantia cutis non eſt. Etenim non eſt
craſſa, ut cutis: non poroſa, ut cutis: non ſentit, ut
cutis, non nutritur, ut cutis: non pars eſt, ut cutis.
Renaſcitur etiam infinities, & verè unitur diſſecta;
quod in cute non obſervatur.

XXII.

Cuticulam non in ætate modò provectioribus, ſed
& in embryonibus perfectis, adhuc in clauſtro ma-
terno deliteſcentibus, reperiri probatur, tùm ex mate-
ria illius, tùm efficiente, tùm fine. Ex materia: quia
adſunt craſſiora tenacioraq; tertiæ concoctionis tùm
cutis, tùm ſubditarum partium excrementa. Ex effi-
ciente: quia adeſt calor halitus illos excitans, & frigus
condenſans. Hoc autem hæret tùm in membranis
quibus involutus eſt embryo, tùm in aquis, quibus ille
innatat. Ex fine, quia illius aliqua eſt utilitas. Inter

uſu

uſus autem cuticulæ iſti duo quoque recenſentur, 1. ut cutis ſine dolore qualitates ſentiat tactiles, 2. ut tegat extremitates vaſorum tendentium ad cutem. At cutis embryonum orbata cuticula ſentiret cum dolore, quia immediate cutim contingerent aquæ illæ ſeroſæ, quæ quandam bilis ratione habent acrimoniam. 2. Cutis illorum ſanguinem exudaret. Et ſane, ſi embryones cuticulâ carerent, quâ quæſo ratione adeo ſubito in iis in lucem excluſis naſci cuticula poſſet? Excluſi enim cuticulam ſtatim habent, ut teſtatur αὐτοψία. Aut ergo illa jam adeſt in utero: aut demum extra uterum naſcitur. Si illud, habemus quod volumus: ſi hoc, membranea illius eſſet generatio: quod abſurdum.

XXIII.

CIcatrix, quæ vulneribus, ulceribusq; cavis ſuperinducitur, cuti quidem analoga eſt, illiusq; vicaria, cum vices eius ſuppleat, vera autem cutis non eſt. Primò ratione materiæ. Cutis enim naſcitur in utero ex ſemine & ſanguine. At cicatrix ex ſubiecta carne eo usque indurata & exiccata eſt, ut cuti tandem ſimilis facta. Deinde ratione formæ. Cutis poroſa eſt. Cicacatrix nequaquam. Unde pili etiam per cicatrices non erumpunt, velut teſtatur *Hippocr. l. d. natur. puer.* Tertio, ratione efficientis. Cicatrix enim fit à medicamentis ſiccantibus & denſantibus. Cutis à facultate plaſtica. Eſt enim cicatricis principium externum: cutis internum. Quartò, ratione loci generationis. Cutis ſemel tantùm naſcitur, & quidem in utero. Cicatrix extra uterum, & quidem pluries.

XXIV.

FIbrarum figura & ſitus muſculorum abdominis ſatis oſtendit, utrique quidem ventri eos inſervire, ſed abdomini primario: thoraci ſecundario. Thorax e-

nim ſuos jam habet muſculos privatos: quorum nu-
mero 57. numerantur. Abdomen verò præter decem
illi conceſſos alios non habet, quorum beneficio undi-
que, ſuprà, infrà, ad latera, in medio, per obliquum, re-
ctum & transverſum movetur. Omnis ergò pars, quæ
moveri debuit, muſculos à Naturâ accepit, & quidem
proprios. At abdomen moveri debuit, E. accepit pro-
prios muſculos. Decem E. illi non ad Thoracem, ſed
ad Abdomen pertinebunt.

XXV.

POrtio omenti, ſi per vulnera exciderit, putreſcit ac
corrumpitur: *Hippocr. aphor.* 58. *ſ.* 6. non tamen ſubi-
to: ſed citò tantùm & feſtinè. Quæ cauſa? 1. Nimia
omenti humiditas, ob adipem copioſum, ob infini-
tas, quas habet glandulas, ob vaſa plurima, quæ mul-
to humore conferta. 2. Caloris paucitas: cùm corpus
ſit ex duabus conflatum membranis, quæ paupertate
caloris laborant, non ſecus atque oſſa, quæ & ipſa nu-
da aëri expoſita μελασμὸν concipiunt. 3. Pinguedinis cer-
ta & peculiaris natura. Eſt enim omenti pinguedo cœ-
noſa & fæculenta, ideóq; putreſcibilis. Aliarum par-
tium non item. Unde fit, ut aëri expoſita, non ita faci-
lè labefactetur.

XXVI.

NIhil abſurdi docuiſſe videtur *Q. Serenus*, quando
ventriculum Regem appellavit. Quemadmodum
enim Rex ſubditos ſuâ habet in poteſtate, iisq; omnia
benigniſſimè communicat, ita & ventriculus benigni-
tate cremoris, quem conficit, omnibus partibus nu-
triendis liberaliſſimè de commeatu proſpicit, & maxi-
mâ in totius corporis alteratione ac mutatione virtute
pollet. Unde *ſummus Dictator Hippocr. l.* 6. *Epid. ſ.* 3. me-
moriæ prodidit, quòd ſegnities ventriculi & ſtupor
omnium

omnium pariat confuſionem, vaſorumq; impuritatem. A ventriculo enim, ſi non benè concoxerit, crudus ad jecur diſtribuitur chylus: quem cùm hepar in purum atque laudabilem ſanguinem vertere non poſſit, neceſſe eſt, ut in venas effuſus impuritatis cauſa exiſtat.

XXVII.

INteſtina ſagax providaq; Natura non eum ſolummodò in finem condidit, ut chyloſum ſuccum diſtribuerent, craſſioresq; exinde reſultantes fæces expurgarent; ſed etiam ut ventriculi in modum chylum conficerent, eiq; ſupremum largirentur perfectionis gradum. Quidni enim hoc muneris præſtarent? cùm eandem cum ventriculo habeant ſubſtantiam, idem prorsùs temperamentum, eandem deniq; ἰδιοσυγκρασίαν, ſintq; præterea tàm longa, totq; gyris anfractibusq; donata, ut alimenta aſſumpta, vel etiam per clyſteres iniecta tandiu morari poſſent in iis, donec laudabilis benigniq; cremoris ſubierint converſionem.

XXIIX.

Cùm omnium venarum una eademque ſit forma ſpecifica, idem principium, eademque fabrica, fruſtrà peculiaria vaſorum genera ſtatuenda cenſemus, per quæ ex inteſtinis fiat transportatio chyli ad jecur, viceq; verſa refuſio ſanguinis ex hepate ad inteſtina pro eorum nutritione; quin potius arbitramur, omnibus venis meſaraicis hoc muneris eſſe conceſſum. Trahit itaque jecur chylum, trahunt inteſtina ſanguinem per eadem vaſa, non temporum & officiorum viciſſitudine quâdam, ſed ſimul una eademq; humorum congreſſione.

XXIX.

HEpar venarum principium ῥιζώσεως non eſſe, ſed cor, multi ex antiquioribus & recentioribus argumentis

tis ſpeciem veri præ ſe quadantenùs ferentibus, planum facere conantur. At fallunt, & falluntur. In piſcibu enim cor eſt, & tamen vena cava ex corde non oritu cùm cor deſtituatur dextro ventriculo, è quo illa alià prodit. Nec dici poteſt, cavam illam venam oriri à ſin ſiniſtro. Quomodo enim ab uno ſinu, cuius una e temperies, unaq; ſtructura, duo diſtincti ſpiritus, natu ralis ſcil. & vitalis, duplexq; ſanguis temperamento d verſus, per duo vaſorum genera diſtribuendus manabi Adde, quòd ſi cor venarum eſſet origo, tùm illæ arteri rum modò pulſarent. Principiata enim ſuis atteſta tur principiis. Et ſicut nervi communicant ſenſum motum ratione ſui principii, ita arteriæ quoque pu ſant propter principium.

XXX.

JEcoris venas per irradiationem quandam, ſeu infl xum ſanguificare, plerique ex Anatomicis unanim conſenſu profitentur, quanquam nullâ ſolida ration nixi. Veritati conſentaneum magis videtur eorun dogma, qui venis per jecoris parenchyma diſſeminat omnem denegant ſanguificationem, tùm aliis de ca ſis, tum hac præcipuè, quod influxus ille, cuius bene cio chymificant, vis quædam ſit hepatis propria, & pr pterea alteri parti incommunicabilis.

XXXI.

CRedimus, Lienem eam quoque ob cauſam fabre ctum eſſe, ut melancholicum excrementum in recipiat. Certiſſimum enim eſt, melancholicum a eſſe excrementum. Indubitatum, hoc expurgandu eſſe: quia ſanguinem conſpurcaret, tetris ſuis halitib ſpiritus inficeret, animal metu & triſtitia perpetuò af ceret, lividum pallidumq; corporis habitum univ ſum redderet. Firmum, illum quadantenùs in he

te, humorum officina, generari: & propterea conceptaculo opus habere proprio, uti fel & ſerum: quod tamen à concoctionis officina non longè abſit. Hoc ergò conceptaculum non eſt jecur ipſum: quia *Ariſtotel. l.* 3. *de part. an. c.*14. authore, alius eſt locus alimenti, alius excrementi. Non eſt veſicula fellea, quia in ea nihil præter bilem conſpicitur. Non ſunt renes & veſica, quoniam in his lotium continetur. Non ſunt inteſtina gracilia, quia chyloſam materiam in ſe continent. Non craſſa, quia fæces recipiunt. Non ventriculus, quia eſt primæ concoctionis officina. At melancholia in ſecunda naſcitur. Relinquitur ergò, lienem eſſe illud melancholici excrementi conceptaculum.

XXXII.

NOn audiendus eſt *Plinius*, quando *l.*11. *c.*37. lienem, quòd curſoribus impedimento ſit, innoxiè eximi poſſe comminiſcitur. Contrarium enim oſtendit lienis tùm ſtructura, tùm uſus atque officium. Habet enim inſignes numeroſasq; arterias à cœliaca, venas item benè multas à vena portæ, & quidem ramum ſplenicum. Quæ vaſa in exciſione diſſecanda forent. At ſi diſſecarentur, magna ſuboriretur αἱμοῤῥαγία, & quidem tanta, quantam nullus mortalium ſuſtinere poſſet. Eſt inſuper officium Lienis utile, & perquàm neceſſarium. Craſſiorem enim impurioremq; chyli portionem ad ſe trahit, eamq; in tantum coquit, in quantum poteſt. Ideóq; exugendo limoſas, cœnoſasq; humiditates chyli, facit, ut reliqua maſſa, quæ ad Hepar concedit, eò ſit purior.

XXXIII.

REnum uſum eſſe atque officium, ut ſanguinem & ſerum in genere venoſo & arterioſo contentum, per venas & arterias emulgentes attrahant: illum quidem,

dem, ut eo fruantur nutrianturq; : hoc verò, ut maſſ
ſanguinea à redundante & nutriendis partibus inuti
humiditate depuretur, omnium ferè eadem eſt ſenten
tia. Sed quænam functio magis ſit principalis, non
omnium idem eſt judicium. Arbitramur autem, ſ
roſi humoris attractionem primariam Renum eſſe
ctionem, ſecundariam verò ſanguinis ad ſe proſectati
nem: idque propterea, quoniam tota Renum ſubſta
tia, & reliqua organa ſerum attrahentia, tranſcolanti
atque deducentia principaliter in illius attractionen
conſpirare videntur. Eum enim in finem Renes v
næ cavæ & aortæ lateribus aſſiſtunt, ut expeditiùs ſeru
eliciant. E diametro ſibi invicem non opponuntur, n
alter alterius tractum impediat: ſed unus altero eſt el
tior, ut ſi ſeri quædam portio præterfluat, ea in alteriu
ſinum deveniat. Geminos inſuper Natura eos volu
eſſe, ne uno obturato, ſeri ceſſaret profuſio. Solida den
ſaq; eorum eſt ſubſtantia, ut calor inhæreat validiùs, &
conſtantiùs, fortiùsque attrahat urinam. Par rati
vaſorum eſt emulgentium, quæ ampliſſima ſunt cond
ta, ut ſeroſo humori è venis & arteriis attrahendo, nu
la cunctatione, liberior pateat tranſitus. Sic & carun
cularum in Renibus deliteſcentium complures nume
rantur, ut eò citiùs ſerum transcoletur. Ureteres Natu
ra binos, inſigniq; cavitate præditos conſtituit, ne mo
raretur urina, ſed promptiùs deſcenderet ad veſicam.

XXXIV.

UReteres venæ non ſunt. 1. quia non habent for
mam, ſive ſtructuram venarum. 2. quia non gau
dent venarum contento. Sanguinem enim in ſe mi
nimè continent. 3. quia cum venis eandem non obti
nent originem. 4. quia ſenſu pollent exquiſitiſſimo

(qu

quo venæ deſtituuntur. Neque ſunt arteriæ. 1. quoniam minimè pulſant. 2. quia non referti ſanguine cardiaco. 3. quia non oriuntur à corde. Non ſunt nervi, tùm quòd ſenſibilem habeant cavitatem, quæ nervis denegata: tùm quòd à Cerebro non dimanent. Sunt igitur vaſa ſui generis: & quidem à tribus illis communibus diſtincta.

XXXV.

UTerum variis moveri motibus, ſurſum, deorſum, & ad alterutrum inguen contorqueri, ſæpè etiam per totum oberrare ventrem, præter authoritatem *Hippocratis* ipſa quoque teſtatur experientia. ζῶον tamen ἐπιθυμητικόν, hoc eſt animal concupiſcibile proptereà non eſt, uti *Plato* exiſtimâſſe perhibetur, quandoquidem motus eius animalis non ſit, cùm à voluntatis noſtræ arbitrio minimè dependeat, neque illum excitare, neque etiam ſedare poſſimus, quotiescunque voluerimus: ſed partim naturalis, partim violentus. Naturalis quidem, dùm fibrarum ſuarum miniſterio contrahitur ad conceptionem: item dùm cogitur ad fœtus excluſionem, & ſecundinarum exturbationem. Violentus verò, & omninò παρὰ φύσιν, quatenùs à cauſa aliqua morbifica, humore nimirùm, vel vapore tetro malignoq; laceſſitus, per eiusmodi motus expellit, quæ præter naturam in eo continentur.

XXXVI.

PUlmo nec motus ſui principium à corde accipit, ut credidit *Ariſtot. l. d. reſpir. c.* 4. Sic enim moveretur ad motum arteriarum, quæ motum ſuum cordi ferunt acceptum, quod tamen & viſus refutat, & tactus. Neque pulmo per ſe, & ab interno movetur principio, quemadmodum *Averrhoës* exiſtimavit, id quod αὐτοψία & ratio redarguit. Etenim, quod motus ſui inſitum

habet principium, id etiam quieſcente alio non quieſcit. At pulmo, immobili aliquandiu perſiſtente Thorace, nunquam movetur. Non itaque motus ſui principium conſtituendum videtur internum: quin potiùs affirmandum, illud extra pulmonum contineri ſubſtantiam, idq; locandum eſſe in muſculis thoracicis. Facultas enim motrix mediantibus nervis muſculos ciet thoracis, cuius motum poſteà ſequuntur pulmones: quippe cùm thorax contrahitur, contrahuntur & pulmones, undique compulſi atque compreſſi: cum verò dilatatur, in omnem quoque partem pulmones dilatantur.

XXXVII.

AQuam Pericardii non in ſolis defunctis, neq; in ſolis ægrotantibus, aut melancholicis, quin ſero abundant, & cordis palpitatione infeſtantur, reperiri, ſed tàm in ſanis, quàm in ægris: in aliis tamen parciùs, copioſiùs in aliis, præter αὐτοψίαν teſtatur authoritas *Galen. l. d. loc. aff.* 5. *c.* 2. & *Hippocr. l. de corde.* Suadet & idipſum ratio, partim à fine, partim à modo generationis deſumpta. A fine, quia cor calidiſſimum tandem contabeſceret ob perennem motum, niſi humectaretur atq; refrigeraretur. Hoc autem refrigerium, hancq; humectationem illi aqua hæc præſtat. A modo generationis, quoniam in arteriis ſerum eſt copioſum, uti & in venis cordis. Vapores etiam inibi ſunt copioſi. Illud tranſudat, & in capſulam cordis delabitur. Hi à frigiditate pericardii condenſantur, & in aquam neceſſariò convertuntur. Reperitur ergò & in ſanis, & in ægris, & in defunctis. In ſiccioris tamen calidiorisq; naturæ hominibus copioſiùs, parciùs in contrariis complexionibus.

XXXIIX. Cor

XXXIIX.

COr, *Hippocrates* muſculum appellavit fortiſſimum, quod ſit fibroſum, carnoſum, rubrumq; ut muſculi, & motu contractionis dilatationisq; , muſculorum more moveatur. Sed videtur abuſivè locutus. Propriè enim muſculus non eſt. Nam in nullam partem movendam inſeritur, ſed ſemetipſum movet. Nunquam etiam motus iſte ceſſat, & nunquam fatigatur: neque illius motus feriatur tempore ſomni, quo tamen feriantur muſculi alii. Habet denique in una eademque parte omnia villorum genera, quod de muſculis veris dici nequit.

XXXIX.

DExter cordis ventriculus ſiniſtro ratione ſitus nobilior eſt, at ratione officii & actionis ſiniſter dextro præferendus. Eſt enim ſpiritus vitalis ἐργαστήριον. Quantò ergo ſpiritus ſanguine eſt nobilior, tantò ſiniſter ſinus dextrum nobilitate ſuperat.

XL.

COr omnium partium humani corporis ἀρχὴ, ſeu principium quoddam rectiſſimè pronunciatur, diſtinguendo tamen inter principii vocabulum, quod quadruplex ab artis Proceribus ſtatuitur. Primum enim principium γενέσεως, ſive generationis vocatur. Tale ſemen eſt & ſanguis maternus, ex quibus omnes humani corporis partes in matrice delineantur & efformantur. Alterum ῥιζώσεως appellatur, à quo rivi quidam, ac veluti tubuli atq; canales oriuntur: cuiusmodi ſunt cerebrum, quod nervorum, cor, quod arteriarum, jecur, quod omnium venarum fons eſt & ſcaturigo. Tertium διοικήσεως, ſeu diſpenſationis dicitur, à quo materia quædam, ſive humida, ſive ſpirituoſa, ſive utraque ſimul omni impertitur corpori, quem-

admodum videre eſt in cerebro , corde, & hepate,
quibus ſpiritus animalis, ſanguis arterioſus unà cu
ſpiritu caloreq; vitali, & ſanguis alimentarius, natur
li ſpiritu impraegnatus, in omne corpus diffunduntu
Quartum ζωτηρίας, ſeu conſervationis principium eſ
quod omnes corporis partes ab interitu (quantu
poſſibile) vindicat. Etſi itaque Cor non ſit partiu
γενέσεως, eſt tamen principium ῥιζώσεως arteriarum: δι
κήσεως ſanguinis cardiaci, ſpiritus calorisq; vitalis: ζ
τηρίας verò omnium humani corporis partium: qu
niam ſpiritu vivificoq; ſuo calore quamdiu vigent,
mnium partium robur integritatemque conſerv
Hinc non ineptè ſpiritus & vitalis ille calor cordis
vitæ nuncupatur. Quemadmodum enim Sole & ſa
in macrocoſmo, atteſtante *Plinio*, nihil utilius eſt, i
in microcosmo vivifico illo nectare nihil magis pr
ficuum. Eius enim beneficio putredo arcetur atq
præcluditur.

XLI.

QUemadmodum Uterus ob mirabilem, quem h
bet cum pleriſque corporis partibus conſenſu
atteſtante *Hippocr. in lib. de loc. in hom.* omnium pe
muliebrium affectuum genitor eſt fœcundiſſimus,
ex eiusdem ſententia *in Epiſtola ad Demetrium Reg*
caput in utroque ſexu plurimorum eorundemq; g
viſſimorum morborum radix exiſtit. Neque ſanè n
rum. Situm quippe eſt caput propter ſenſuum co
moditatem in editiori corporis regione, cuius ratio
inſtar alembici cuiusdam, aut camini facilè reci
ſubditarum partium exhalationes, quæ poſtmod
illud aut dolore cruciant, aut alio quodam veheme
tiori ſymptomate exercent. Cúmq; ſit frigidioris h
midiorisq; complexionis, ac velut *Hippocr. loquitu*
lib

libello περὶ ἀρχῶν, μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ, καὶ τοῦ κολλώδεος, domicilium frigidi & glutinoſi, inſuperq; externis aëris iniuriis valdè expoſitum, accidit, ut ob imbecillitatem nativi caloris plurima in eo reſultent excrementa, quæ deinceps, ubi exuperaverint, uberrimam morbis compluribus ſegetem ſubminiſtrant.

XLII.

CErebrum medullaris eſſe ſubſtantiæ ad ſenſum omnibus patet. An verò ſubſtantia hæc medullæ ſibi rectè nomen vendicet, inter omnes non omninò conſtat. Exiſtimamus, poſſe litem dirimi, ſi diſtinxerimus inter medullam. Alia enim propriè eſt talis, quæ μυελὸς dicitur: alia talis ſecundum aliquam ἀναλογίαν. Cerebrum medullam habet, non propriè dictam, ſed ſui generis. Dicitur autem medulla: 1. quia quemadmodum vera medulla in oſſibus continetur, ita & cerebrum in cranio. 2. quia ſicut medulla mollis eſt, inſenſilis, & progreſſu temporis alba, ita & cerebrum. Differunt autem 1. Ratione materiæ: quoniam medulla oſſium ex ſanguine conſtat, cerebri ex ſemine. 2. Ratione finis: quoniam medulla oſſium nutrimentum eſt: cerebri ſedes functionum animalium, & animalis ſpiritus ἐργαστήριον. 3. Ratione efficientis: quoniam medulla oſſium fit concoctione à temperie & calore oſſium: cerebri à ſeminis vi plaſtica. 4. Ratione formæ, quia medulla oſſium eſt corpus aërium, calidum ſcil. humidum, & pingue: cerebrum eſt aquoſum partim, partim terreum: teſte *Ariſtot. c. 7. l. 2. part. anim.* Ideoque frigidum.

XLIII.

ERrant, qui cum *Ariſtotele* cerebrum primariò refrigerandi cordis gratiâ fabrefactum eſſe autumant. Quid enim opus fuiſſet tàm artificioſa ſtructura, tot

plexi-

plexibus, tot cavitatibus, tot corpuſculis, tot nerv
tanta ſpirituum animalium copia? Fruſtrà certè h
omnia creata fuiſſent. Suffeciſſet enim cerebro,
ſtar ſpongiæ rudis ſeſe habere. Amplexanda con
Medicorum opinio, qui cerebrum creatum aiunt
edendas actiones animales, & generandum ſpiritu
animalem. Quæ generatio ſpirituum animalium p
marium cerebri videtur eſſe officium, tùm quia to
illius ſtructura conſpirat in hanc functionem, tù
quia poſita generatione ſpiritus animalis, ponun
omnes actiones animales, & illa ſublata, tolluntur.

XLIV.

NOn audiendos judicamus, qui cerebrum motu
lieno, nimirùm arteriarum moveri contendu
Quod ſi enim hoc dogma aliquid contineret pro
bilitatis, utique ad illarum motum moverentur
aliæ partes, quæ cerebro longè exiliores, minor
levioresq; obtinent arterias. Imò lien ad motum ar
riarum agitaretur, cùm arteriis ſit donatus plurim
iisq; effatu dignis, & viſcus ſit rarum, laxum, fun
ſum, ſpongioſum, adeóque leve, ut alieno motu c
poſſit faciliùs. Quin potiùs iis aſſentiendum opi
mur, qui cerebrum propria & ingenita vi, hoc e
principio proprio & interno, non alieno move
huncq; motum non violentum, ſed naturalem pla
eſſe exiſtimant.

XLV.

OCulorum ſubſtantiam ſi conſiderare voluerim
diligentiùs, non merè igneam illam eſſe dep
hendemus, ſicut *Platonici* ſibi ſunt imaginati: nec p
rè aqueam, quæ *Peripateticorum* fuit ſententia:
omnium elementorum participem. Videtur en
Natura elementa in oculos, velut in orbes quoſda

exigu

exiguos, conieciſſe: terram, quam tunicæ, quæ frigidæ, ſiccæ & duræ, repræſentant: aquam, quam humores frigidi & humidi referunt: & aërem atque ignem, quæ corpora ſpiritus viſivi, qui calidi, ſicci, pellucidi, tenues levesq; in memoriam nobis revocant.

XLVI.

OCulorum tanta dignitas eſt & præſtantia, ut non modò rectiſſimè *Alexander Aphrodiſæus* feneſtras & fores animi eos appellârit, *& Syenenſis, Medicus Cyprius,* animi ſedem ac domicilium in iis ſtatuerit: eò quòd animi mores & pathemata in oculis, tanquam in terſo nitidoq; ſpeculo, eluceant: & quòd per illos, quaſi per januam ad ſecretiores animi receſſus aditus pateat. Sed & ægritudinis, ſanitatis & mortis indicia ex iis effulgent. In ictericis enim oculi flaveſcunt. In phreniticis flagrant incendio. In maniacis truces ſunt, torvi atque horribiles. In tabidis & maraſmo laborantibus cavi cernuntur, valdéq; languidi. In epilepticis convelluntur. In ſuffuſione conflictatis, fumi, vapores, muſcæ, aliarumq; rerum ſimulachra antè oculos obverſantur. Quibus κρίσις per hæmorrhagiam narium futura eſt, iis & facies rubet, & viſus obſcuratur, & oculi averſantur lucem, & lachrymas profundunt involuntarias, & μαρμαρύγαι, ut *Hipppocr.* loquitur, minutula & divulſa quædam corpuſcula, maculis marmorum ſimilia, circum oculos volitare putantur. Quin imò, ut oculi valent, inquit *Hippocr. 6. Epid. ſect.* 4. ita & reliquū corpus. Etenim ſi pleniori conſtent mole, humoresq; contineant puros, & alacriter moveantur, reliquum etiam corpus robuſtius eſſe teſtantur. Contrà ſi cavi fiant, turbidi, inque motu languidi, reliquum corpus virium infirmitate laborare ſignificant. Ratio eſt, quia oculi plùs animalis ſpiritus continent, quàm aliæ corporis partes. Id

 quod

quod ex nervorum opticorum mollitie & amplitudi-
inſigni ſatis conſtat. Quapropter, ſi oculorum qu
dam contigerit imbecillitas, argumentum eſt, reliq
corporis partes maiori laborare infirmitate, utpote qu
bus tanta, quanta oculis ſpirituum ubertas minim
conceſſa. Unde *divinus Senex in prognoſticis*, diligente
oculorum rationem habendam eſſe monet, eò quò
nihil certi de virium robore ſciri poſſit, ſi vel maxim
omnes reliquæ corporis partes inſpiciantur, niſi etiam
oculi accuratiùs examinentur.

XLVII.

MAlè ſentiunt, qui perſuaſum habent, proceſſus ce
rebri mammillares, utpote genuina olfactus or
gana, ex albo nervorũ eliminandos eſſe. Etſi enim no
ferantur extrà calvam, cæterisq; nervis quadantenù
ſint molliores, attamen hæc nihil concludunt, quo
niam non ſunt de formalitate & eſſentia nervorum
quin potiùs cùm eandem cum reliquis nervis ſortit
ſint ſtructuram, eundem in ſe contineant ſpiritum ani
malem, idem quoque habeant principium, nihil prohi
bet, quo minùs nervis ſint annumerandi. Et ſanè ſ
nervorum nomine non inſignirentur, ratio diverſitatis
nulla dari poſſet, ob quam ſolus olfactus nervorum mi-
niſterio perfici non deberet: cùm tamen ſenſus hic in
quibusdam animalibus adeò ſit excellens, ut reliquo-
rum ſenſuum (quorum omnium inſtrumenta ſunt ner-
vi) actionem longè ſuperet.

XLIIX.

RAritas & paucitas dentium, & ut ſignum, & ut cauſa
damnari ſolet. Ut ſignum: quia aut ſpermaticæ
materiæ inopiam, aut formatricis facultatis imbecilli-
tatem arguit. Ut cauſa: quia qui paucos habent dentes,
cibos bellè non mandunt, nec præparant ventriculo.

Unde

Unde imperfectior χύλωσις, ex qua laudabilis αἱμάτωσις ſperari nequit. Hinc non temerè *Hippocr.* 2. *Epid. ſ.* 6. ſcriptum reliquit, quòd qui plurimos habent dentes, longioris ſint vitæ, quàm qui paucos.

COROLLARIA BOTANICA.

I.

R*Ectè veteres Solem vocârunt plantarum Patrem, Terram Matrem, velut* Ariſtot. l. 1. de gen. animal. cap. 2. *notat. Ut enim Pater activum eſt generationis principium, & in alio generat: ita Sol vivifico ſuo calore ſtirpes in terræ gremio aliisq; locis gignit, & principij* ἐνεργητικῦ, ἢ ποιητικῦ *rationem obtinet. Et quemadmodum Mater in ſemetipſa generat, ſemen recipit, fovet, in actum deducit, fœtum alit, tandemq; illum foràs profert, ſic terra etiam in viſceribus ſuis aliquid gignit, ſemina plantarum ſuſcipit, actuat, quod produxit nutrit, & in lucem poſteà edit.*

II.

L*Enticula paluſtris muſcus ſtagnantium reſiduumq; aquarum non eſt, ſed planta vera, pro radice habens ſubtiliſſima fila, ſive capillamenta, quibus ſe terræ committit.*

III.

T*Ubera terræ, Græcis* ὕδνα *dicta,* Plinius l. 19. c. 2. *callos terræ eſſe putat.* Galenus l. 2. de alim. facult. c. 68. *aut bulbis, aut radicibus annumeranda arbitratur.* Non nemo *diſtinguit, & radices appellari poſſe credit, ſi eorum forma ſpectetur: ſin natura & opera radicum perpendantur, radicum mereri nomen negat: quòd nec folium, nec caulem emittant.* Nos Dioſcoridi ſubſcribimus, *qui* lib. 2. cap. 178. *edit.* Ruellii *docet, Tubera radices eſſe orbiculatas, caule & foliis carentes. Cùm enim animata ſint corpora, & augeantur, hocq; nomine nutritionem præſupponant, non dubium, quin in*

plantarum albo ſint reponenda. Animalia enim dici nequeunt, quia ſentiendi facultate deſtituta ſunt. Callos terrenos eſſe, nobis non perſuademus: quia terra mera & ſincera nos non alit. Alunt autem Tubera. Si juxta Galenum *Tubera bulbis aut radicibus annumeranda ſunt, radices certè erunt: quoniam ipſi quoque bulbi radices ſunt. Diſtinctio* Non neminis *non quadrat. Non enim radices in omnibus ſtirpibus folia & caules edunt: quod multis probari poſſet exemplis.*

IV.

F*Ungi*, μύκητες, *à quibusdam in numero plantarum non habentur, ſed ulcera terræ & arborum eſſe dictitant, ex ſuperflua & excrementitia humiditate nata. Nos, cùm videamus, fibras, ſive villos, & capillamenta plerisque data eſſe pro radicibus, plerosq; etiam caules habere & opercula, eaq; variæ figuræ, augeri etiam atque nutriri, ad ſtirpium familiam eos reducimus. Niſi enim hoc concedatur, ad quodnam rerum genus referri debeant, minimè conſtabit.*

V.

M*Vſci*, βρύονες, *varij ſunt & multiplices, ut apud Botanicæ rei ſcriptores liquet, à quibusdam ex plantarum familia eliminantur. Aiunt enim, partes eſſe arborum. At certè partes arborum non ſunt, ſed earum adiuncta. Proveniunt enim non tantùm in arboribus; ſed inſidere quoq; locis herbidis, fimetis & ſaxis viſuntur. Quidam etiam fibrillas pro radicibus, caules item & foliola obtinent. Conſiderentur clavati, denticulati, ſcoparij, arborei, alij, & rem ſic ſe habere deprehendetur.*

VI.

C*Alamus noſter aromaticus, verus calamus non eſt, ſed acorum verum* Dioſcoridis c. 2. l. 1. *deſcriptum. Non enim arundo eſt: ſed ratione foliorum iridi ſimilis: quemadmodum idem ibidem docet.*

VII.

C*Oriandro maligni quid ineſſe, Botanographi ſcribunt. Nos illud de foliis viridibus verum eſſe judicamus: at non de ſeminibus; præſertim aceto maceratis & exiccatis. Vtiliter enim in multis affectionum generibus uſurpantur.*

IIX. Non

NOn eſt abſurdum, ſi dicatur, uni eidemq; ſimplici contrarias planè ineſſe facultates. Conſiderentur ſolùm mala Citria, Aurantia & Limonia, & verum hoc eſſe deprehendetur. Exterior enim cortex flavus calidus eſt & ſiccus. Pulpa albicans frigida. Succus acidus, frigidus, & potentiâ ſiccus. Semen calidum & ſiccum.

IX.

TRagum piſum idem facere cum cicere arietino 1. patet ex titulo cap. 9. l. 2. ubi ſcribit, de cicere arietino, quod vulgò piſum nominant. 2. ex nomenclaturis eiusdem cap. cum inquit, Ego piſum cicer arietinum Dioſcoridis eſſe judico. Sed falſam Tragi eſſe opinionem, inde conſtat, quia piſa & cicera non formâ ſolùm externa, verùm etiam viribus plurimùm differunt. Ciceri arietino Dioſcorid. l. 2. c. 96. facultatem tribuit ciendi urinam, aperiendi jecoris obſtructiones, & ſic utilitatem præſtandi ictericis atq; hydropicis: adhæc movendi menſes, expellendi partus, augendi lac, detergendi ulcera maligna, ſanandi ſcabiem, ulcera capitis manantia, & impetigines. Quæ ſanè de piſis dici non poſſunt. Galenus enim 1. de alimentor. facult. c. 21. detergendi vim piſis non ineſſe ſcribit, eaq; expreſſè à ciceribus, de quibus ſtatim c. 22. agit, ſeparat. Matthiolus, piſa refrigerare & ſiccare dicit: eâq; de causâ vires ciceribus nunc adſcriptas illis denegat. Proinde monet, ne puerperis jus piſorum præbeatur, neve idem propinetur iis, qui purgans ſumſerunt, ſed potiùs jus cicerum, quod aperire & detergere valet.

X.

CVſcutam, herbam propriè non eſſe, ſed vitium potiùs & morbum herbarum, Dodonæus cap. de Caſſutha inde probat, quoniam ſuis capillamentis, ſeu filamentis & cirrhis ab ipſo ſtatim exortu, herbarum fruticumq; ramulis ac foliis ſeſe implicat, tàm ſpiſſo non rarò contextu, ut omnis oblita gratitudinis, etiam propriam parentem ſubinde laqueis ſuis ſtrangulet, ſic ut, aut malè oneratæ ſtirpes procumbant, aut nativo alimento deſtitutæ contabeſcant. Sed ſi hæc ratio aliquid haberet ponderis, utique neque lolium, neque orobanche, neque triticum vaccinum, neque epithymum, neque eraccæ ge-

nera, neque alia frugum vitia in numero plantarum eſſent reponenda. Veram autem eſſe plantam & propriè dictam, inde probatur: 1. quoniam illi plantæ competit deſinitio. Eſt enim corpus ſola vegetativa anima præditum, nutritur, augetur & ſemen producit. E terra naſcitur; vel immediatè, uti Tragus *vult: vel mediatè, quatenus aliis ſtirpibus adnaſcitur, quæ immediatè è ſinu terræ prodeunt. Vireſcit, h.e. ſucculenta eſt, uti* αὐτοψία *docet. Senſus deniq; eſt expers: quia non eſt animal. Hæc enim ſunt requiſita plantarum. 2. quia omnes Botanici, qui de Caſſutha ſcripſerunt, eam inter plantas referunt. 3. quia niſi in plantarum albo reponatur, ad quod corporum genus referri debeat, neſcitur.*

XI.

EVpatorium jecori appropriatum eſſe 1. docet nomen. Non enim εὐπατώριον *ſolùm ab* Eupatore *Rege, qui id primus inveniſſe dicitur, denominatur, verùm etiam* ἡπατώριον, *Hepatorium, quòd jecori præcipuè medeatur. 2. oſtendunt rei herbariæ ſcriptores omnes: maximè* Dioſcor. c.33. l.4. *qui id in jecoris vitiis commendat: nec non* Galen. *qui illud jecoris expurgare obſtructiones, & robur huic viſceri addere ſcribit. 3. experientia & praxis confirmat. Sed hic quæritur, quâ qualitate hoc ipſum ſimplex id præſtet? Reſpond. & manifeſtâ & occultâ. Manifeſtâ quidem, quia aperit, detergit, & adſtringit leviter nullo vehementi calore. At tale quod eſt, jecori gratum & familiare eſſe ſolet. Hepar enim & ratione officii, & ratione ſtructuræ, frequentiſſimè obſtruitur. Quare aperientia deſiderat. Idem jecur, quia obſtruitur ſæpè à glutinoſis lentisq; humoribus, detergentia poſtulat. Et quia unum eſt ex principalioribus viſceribus, corroborantia exigit. Denique quia calidum, vel refrigerantia, vel talia, quæ nullam habent inſignem caliditatem, poſcit. Occultâ verò, quoniam peculiari quadam dote hepar confortare dicitur. Multa enim ſunt, quæ citra magnum calorem aperiunt, incidunt, detergunt, leviter adſtringunt: quæ licet conducant hepati, illi tamen non ita ſunt amica atq; familiaria. Cur? quia manifeſtis ſolùm qualitatibus illi opitulantur: non etiam ſubſtantia tota.*

XII.

VRticam urere plerique Botanographorum affirmant. Ab urendo enim nomen acquiſiviſſe arbitrantur, juxta illud Æm. Macr. Poëtæ:

Tacta

Tacta quòd exurat digitos urtica tenentis.

Sed hallucinantur plurimùm. Etenim ſi urticæ cauſtica ineſſet qualitas, ureret vel caliditate actuali, vel potentiali. At non actuali: 1. quia ſimplicia medicamenta talia ſunt poteſtate, qualia eſſe dicuntur, non actu. Opus enim alio aliquo principio, à quo in actum deducantur, habent. 2. quia niſi contrectetur, non urit. At quæ tactu urunt, etiam mediante aëre, maximè ſi manus noſtra iis vicina ſit, calefaciunt. 3. quia multa urticis longè calidiora actu non urunt. Non caliditate potentiali: quia tantam in ſe caliditatem non habet, ut illius ratione urere poßit. Sicca quidem eſt, & tenuium valdè partium, ſed modicè calida, & primum ordinem vix excedit, uti teſtantur omnes, qui de ſtirpibus aliquid literarum monumentis conſignarunt. Adhæc, aſſumpta interiora quoque ureret. Hoc autem eſt contrà experientiam. Dicitur ergò urere non propriè, ſed metaphoricè: quia contrectata pruritum puſtulasq; excitat, non ſecus atque ignis. Loquendum igitur cum vulgo, & urtica cauſticæ eſſe facultatis dicenda, ſed metaphoricè. Pungere autem, vellicare, mordicareq; rectiùs, quàm urere dicitur: idq; non ratione ignei caloris, qui in urtica deſideratur, ſed ratione lanuginis rigentis ac duriuſculæ, aculeorum inſtar pungentis, cutim vellicantis, ingentem excitantis pruritum, cutim ſubinde rubefacientis, eamq; veluti tuberculis exaſperantis. Hâc enim lanugine, tùm caules, tùm folia urticæ obſita ſunt. Veram hanc eſſe cauſam, inde patet, quia urtica facta flaccida, aut decocta, haudquaquam urit: lanuginis nimirum remiſſo rigore.

XIII.

N*Icotiana*, à Joanne Nicotio, *Regis Gallorum Conſiliario, fuit dicta. Eius beneficio anno* 1560. *Galliis innotuit; quam* Ulyſſiponæ, *cum Legati munere fungeretur, à Belga è* Florida, Indiæ *occidentalis inſula, allatam accepit.* A Dodonæo & Valerio Cordo *ad Hyoſcyamos refertur: unde & ab iis Hyoſcyami Peruviani, & Strammonij Peruviani nomine inſignitur. Verùm malè. Solent enim ſpecies facultate & viribus ſimiles eſſe generi, id quod inductione & exemplis ſpecierum Abſinthij, Abrotoni, Tithymali, Solani, Ranunculi, Plantaginis, ...ij, Naſturtij, Eupatorij, Cucurbitæ, Mezeræi, Scabioſæ, Origani &c. ...e omnes viribus & qualitatibus generi ſimiles ſunt, probari facilè poteſt.*

poteſt. At Nicotiana viribus & qualitatibus ſuis Hyoſcyamo neut
quam ſimilis eſt. Hyoſcyamus enim omnis omnibus ſuis particuli
præcipuè tamen niger, vehementer, & quarto quidem ordine refrig
rans eſt: viribus opio & meconio ſimilis. Unde ſoporiferus, anod
nus, quia narcoticus: inflammationes & deflagrationes partium m
tigat: acres calidasq; defluxiones oculorum, aliarumq; partium co
peſcit: eius folia in olere ſumpta inſaniam gignunt, uti Dioſcori
docet l. 4. c. 50. *Contrà Nicotiana calida eſt & ſicca ordine terti*
reſolvendi facultate, ſordidaque repurgandi cum exigua adſtrictio
donata, Monardo *teſte. Calidam autem eſſe, foliorum oſtendit ac*
monia, quæ non modò guſtu ſentitur, ſed & in ulceribus nervoſaru
partium virentibus foliis impoſitis quandoque percipitur. 2. quia
lia commanducata ſalivam provocant, pituitamq; detrahunt: qu
& fumus aridorum exceptus præſtat. At hæc quæ præſtant, cal
judicantur: uti rad. Pytethri, Pimpinellæ ſaxifragæ, Calami aroma
ci vulgò dicti, & ſimilium probant. Nicotiana præſtans eſt ad ulc
maligna & dyſepulota remedium. Confert ad impetigines, ſcabiem
vulnera glutinat; unde Conſolida Indica dici poſſet. Syrupus ex il
ſucco paratus in aſthmate, orthopnœa, tuſſi, cognatisq; pectoris vi
craſſos humores feliciter incidit, nec non vermes inteſtinorum ex
lit. Quæ facultates cùm nulla ratione hyoſcyamo adſcribi quea
concluditur quoq; Nicotianam non eſſe illius ſpeciem.

XIV.

O*Leum Nucis moſchatæ expreſſum, legitimum opobalſami in c*
fectione Theriacæ, & Mithridatij Damocratis *eſſe* ἀντιβαλ
vov, exinde quàm maximè probatur. 1. quia illud optimum eſt ſu
daneum, quod requiſita veri & boni ſuccedanei, aut omnia, aut
tem pleraque habet. At oleum N. M. pleraque requiſita ſucceda
habet. Eſt ergò legitimum ſuccedaneum. Minoris ratio patet: q
niam verum ſuccedaneum debet eſſe primò eiusdem cum defici
primario generis, ita ut radix pro radice, folium pro folio, ſemen
ſemine, ſuccus pro ſucco accipiatur. Deinde debet deficientis re
re ſubſtantiam, odorem, ſaporem, temperamentum, quantum
poteſt. Tertiò debet easdem habere vires & facultates. At ol
iſtud 1. eiusdem eſt cum opobalſamo generis. Nam Dioſcor. l.
18. *dicit, opobalſamum ſuccum eſſe ſtillantem ex arbore ſua: qua*

ca caniculæ exortum ferreis unguibus, vulneratur. Sed oleum hoc etiam ſucc us eſt perexpreſſionem ex nucibus moſchatis elicitus. 2. *eiusdem cum opobalſamo eſt ſubſtantiæ. Hoc namque tenuium eſt partium,* Galen. 6. ſimpl. teſtante. *At tale quoque Ol. eſt myriſticum. Eſt odoratum valdè, non ſecus atq; balſamum, quod fragrantiſſimum eſſe ſacræ literæ affirmant. Teſtantur etiam* Dioſcor. & Gal. loc. citatis. *Nux enim myriſtica admodùm eſt aromatica & odorata. Unde ab* Aetio *etiam nux odorata dicitur. Eſt balſami ſuccus* Dioſcor. *teſte* c. 18. l. 1. *adſtringens, ac moderatè mordens. Tale quoque eſt ol. moſchatum. Balſami ſuccus* Gal. authore 6. ſimpl. cap. de balſam. *deſiccat & calefacit exceſſu ſecundo. Tale etiam ol. eſt moſchatæ nucis.* Dioſcorid. *ait, opobalſamum quàm maximè calefacere. Sed* Gal. loc. citato *hoc negat. Deceptos autem eſſe eos, qui hoc tradiderunt, propterea ſcribit, quòd opobalſamum tenuium eſſe partium animadverterint.* 3. *iisdem penè viribus pollet.* Dioſcor. loc. citato ſeqq. *vires opobalſamo aſſignat. Abſtergit, inquit, quæ tenebras oculorum pupillis offundunt: medetur perfrictionibus uteri cum cerato roſaceo appoſitum: menſes, ſecundinas, & partus extrahit: horrores illitum diſcutit: ulcera ſordida expurgat: urinam potum ciet: ægrè ſpirantibus prodeſt: datur in lacte contra aconitum hauſtum, aut ſerpentum ictus. Miſcetur antidotis, acopis, malagmatis.* Andernacus *addit* comm. 2. de vet. & nova Medic. Dial. 7. *opobalſamum calefacere, inſigniter penetrare, exiccare, corpora inuncta à corruptione & putredine quàm diutiſſimè tueri, ſenectutem arcere, ratione fragrantiæ cor mirè exhilarare & confortare, oris halitum commendare, ventriculum roborare & concoctionem juvare, cruditates tollere, flatus diſſipare. Ol. nucis moſchatæ plurimas ex his dotes habet. Calefacit, penetrat, ſiccat, cor confortat, fœtorem oris emendat, vetriculo robur addit, concoctionem promovet, flatus diſcutit: imò ut* Andernacus *monet, extrinſecus lentis, aut piſi magnitudine orificio ventriculi inunctum, mirificè ipſum corroborat: thoracem & pulmones lenit, vocem efficit claram, venenis reſiſtit ut nuces aliæ: quia cardiaca, horrores etiam, quia calidum, diſcutit. Concluditur ergò, cùm ol.* Nuc. *Moſch. plura veri* ἀντιβαλλομένυ *requiſita habeat, & viribus quàm proximè ad opobalſami naturam accedat, illud in defectu opobalſami ſubſtitui debere.*

E *Nobi-*

Nobiliſsimo & Pereximio

DN. RESPONDENTI.

D*At* Galenus *opes, nec honores invidet idem*,
Sed ſimul hos amplo nummorum jungit acervo.
His ſtimulis agitatus ades, bis ſacra Cathedræ
Limina & aſcendis, noſtro gratante Lyceo.
Nuper enim ex Phyſicis quædam problemata doctè
Defendiſſe ſatis te vidimus. Hinc tibi crevit
Diſcendi ſtimulatus amor. Jam pulpita rurſus
SEBIZI auſpicio premis, & juvat ire per omnes
Corporis humani partes, quas Sectio mõſtrat.
Utere, quâ polles felici Palladis arte
Aſsiſtente DEO, cœptoq́; hoc tramite perge,
Et Galenus *opes dabit, &, quos quæris, honores.*

Franciſcus, Dn. à Weltz,
L. B. in Eberſtein.

PErmira Anatome quæ ſecare cum docet
Corpus, ſecanda præbet animæ viſcera!
Rimaris, ô KNOGLERE, corporum abdita!
Rimatur auditorium tuæ abdita
mentis. Ϲεαυτὸν γνῶθι! tunc futurus es
Anatomicus, Medicusq; ter felix tui.

F.

Joh. Conrad. Dannhavver, D.
h. t. Vniv. RECTOR.

Nobiliſs. Dn. Reſpondenti S. P P.

NI cecidiſſet homo, niſi jus violare ſupremum
Auſus & ingenium contaminare ſuum,
Integritate ſua juſſusq; carere fuiſſet,
Corporis humani ſectio nulla foret.
Nunc hominem mors dira ſecat. Medicusq; ſecando
Mortis principiis antevenire parat.
Corporis ergò vias & in his veſtigia mortis
Colligit, ut ſapiens hinc medicina detur.
Namq; Creatoris, quam fabrica corporis offert,
Virtus, quam monſtrat ſectio cauta ſatis,
Sat, ſi vel mors non, vel ſectio nulla fuiſset,
Nota fuiſſet ei, cui patuiſſet ea.
In mundum, in corpus mors poſtquam ingreſſa, neceſſe eſt,
Ut medicina ſit & ſectio ſubſequa ſit.
I, KNOGLERE! Sophum dat contemplatio mortis!
Contemplare ſecans, mors ubi deliteat!
Nullibi non mortis deprendes ſemina diræ.
Sint ea doctrinæ ſemina magna tuæ.

Scr. cum bono omine & voto
amoris mnemoſynon

Joh. Georg. Dorſcheus, D.

Nobili & Præſtantiſſimo

DN. RESPONDENTI
S. P. D.

QVanta DEI *Bonitas* ſit, quanta *Potentia*, quanta
Sit *Sapientia*, commonſtrat diſſectio noſtri
Corporis, artificum ſi juſſa ſequatur eorum,
Artis qui Medicæ præcepta ſalubria tradunt.
Hæc eadem in mentem nobis τὸ γνῶθι σεαυτὸν
Imprimit: hæc Phyſicis, qui nôſſe arcana laborant
Naturæ matris, quamplurima commoda præbet.
Quid referam Medicos? An non abſtruſa revelat
Hæc loca morborum? Nunquid non ſedula cauſas
Illorum oſtendit? Nonné eſt præſaga futuri
Eventus, quem nos contingere ſæpè videmus
In morbis, qui vel vitæ eſt, vel mortis amaræ?
Vulnera qui curant, qui ſanant ulcera, quique
Fracturas tractant, & qui luxata reponunt,
Præterea varios qui profligare tumores
Sunt ſoliti, quæſo poſſuntné carere ſecandi
Arte? Vel eſtné illis perſuaſum, quòd benè poſſint
Egregio dextri Cheirurgi munere fungi,
Sint licet expertes iſtius nobilis artis?
Eſt ſanè illius, credas mihi, maximus uſus:
Atque adeò tantus, ſolidum fundamen ut omnes
Illam totius vocitare Machaonis artem
Haud veriti ſint. Imò illud laudabile lumen
Iatricæ, *Hippocrates*, præcepit, ut artis ab illa
Auſpicium fieret felix, parteſq; præirent.
Corporis humani, quo non præſtantius ullum.
Ergò tuis ſtudiis benè conſulis, optime Amice,
Artem quòd dictam ſolidi fundaminis inſtar

Eſſe

Eſſe putes: quoniam ſuper id quod ſtruxeris, illud
Firmum erit, & meſſem tibi, crede, parabit opimam.
Quod quò contingat, divinum Numen adoro:
Et precor, ut lenem ſpiret conatibus auram:
Vt fias DOCTOR præclarus in arte medendi:
Vt medicaminibus cures feliciter ægros:
Vt tibi concilies magnum & memorabile nomen:
Vtq; tuo generi ſis fama decusq; perenne.

Melchior Sebizius, Med. D.
& Prof. Com. Pal. Cæſar. & Reipub. Argentor. Archiater.

Corporis humani SEBIZIVS arte ſecando
Dum te ſcrutari ſingula membra docet,
roſpicis ipſe tuæ multum KNOGLERE ſaluti,
Et cumulas ingens cognitionis opus.
am quoties pars una cutis carnisve ſecatur,
Pars animo toties additur una tuo,
empè Machaoniæ pars docta ſcientiæ & artis,
Syſtema integrum cuius habere ſtudes.
rge, viro tanto præeunte, inquirere vires,
Queîs ſtirpes, plantæ, & qualibet herba, valent,
q; ipſum mentemq; tuam rimarier aude,
Ut noſcas, quid ſis, quid valeasq; probè;
unc tibi doctrinæ ſimul & virtutis acervus
Creſcet, & optatæ hinc gloria ſortis erit.

Boni ominis & gratulationis ergò ſcr.
M. Joh. Matth. Schneuber,
P. L. Gymnaſiarcha Argent.

QUi cupit attonitus mirari mira, ſupremi
Facta DEI, mirâ quæ facit ille manu.
Haud quæret terras alio ſub Sole calentes,
Nec bibet ignotas Nobilis Urbis aquas.
Corporis humani primùm ſpectare ſtudebit
Structuram, cunctis quæ mage mira tenet.
Singula namque tenent hominis, miracula, membra
Thorax ac artus, parsq; ſuprema caput.
Hæc dum demonſtras ſtudioſè, Fautor amande,
Apprecor ut Patriæ commoda mille feras.

Philippus Jacobus Win

F I N I S.